

# PLANTAE SERBICAE

## Decas III.

---

### XXI.

## PICRIDIIUM MACROPHYLLUM *Vis. et Panc.<sup>v</sup>*

### Tabula I.

P. perenne glaucum glabrum ; caule erecto, superne subaphyllo, simplici aut bifido; foliis oblongo-obovatis, sinuatis runcinatisve, spinoso-denticulatis, apice rotundatis, inferioribus basi longe attenuatis, caulinis cordato-amplexicaulibus ; pedunculis unifloris, apice incrassatis, simplicibus, subsquamosis, foliis involucri laxis.

ICON. Tab. I ; *a*, Flosculus ; *b*, Fructus ; *c*, Achaenium absque pappo.

HAB. in rupestribus ad *Mokragora* Serbiae occidentalis. Fl. lutei. Fl. Junio.

DESCR. Rhizoma nigricans, saepe pollicem crassum, per rupium fissuras longe repens, perenne. Folia inferiora et rosularum fere spathulata, basi longe attenuata in petioli speciem utrinque plus minusve alati, interdum runcinata, saepius lobato-sinuata, margine spinuloso-denticulata, apice rotundata. Folia caulina similia sed majora, basi multo latiora et cordato amplexicaulia, 15-18 cent. longa, 5 cent. lata, sinuato-lobata, lobis brevibus latis, margine et apice spinulosi. Caulis erectus, infra medium foliatus, superne aphyllus, simplex, vel rarius in ramos seu pedunculos elongatos unifloros simplices binos divisus, ibique squamis lanceolato-attenuatis amplexantibus minutis sparsis remote instructus, apice conspicue incrassatus. Flores *Picridio vulgari* majores, capitulo obverse campanulato, involucri obtusiusculis, inferioris foliolis squamaefornibus ovatis, atro-viridibus, margine late albo-membranaceis, laxis, superioris lanceolato-linearibus triplo longioribus, corolla multo brevioribus. Corolla tubo filiformi, superne villosa-albida, limbo lineari-

quinquepartito. Achaenium lineare-oblongum fuscum tetragonum utrinque truncatum, costis obtusis transverse tuberculatis sulco profundo divisis; pappo niveo multiseriali simplici, setis sparse denticulatis, basi in annulum coalitis et cum annulo ipso deciduis. — Herba glaberrima glauca, subcarnosa, cent. 30-40 long.

OBS. Affine *P. dichotomo* Fisch. et Mey.; sed praecipue ab eo differt caule subsimplici nec unquam dichotomo, pedunculis conspicue incrassatis, duratione perenni nec bienni. — Planta serbica, etsi foliorum amplitudine et crassitie luxurians, caule gaudet simpliciore macriore, secus ac obvenit in *P. dichotomo*, cujus folia multo minora et caulis repetite dichotomus. — *Picridium crassifolium* Willkom mihi ignotum difert a nostro foliis inferioribus numerosissimis lanceolatis basi vaginantibus, pectinato-pinnatifidis, eximie crassis et aeruginosis, squamis capituli sub-cordato-ovatis, basi solutis, superne adpressis, subimmarginatis, et statione calidiore et fere litorali (prope *Barcellona*). Haec ex *Walp.* ann. bot. syst. I, p. 464.





*Picridium macrophyllum* V. et P.

G. B. Lago del. del vero

M. Moro del.